

ætare juvenili, quæ circa triginta annos incipit, ut Augustinus dicit (Lib. XXII. de Civit. Dei cap. XLII.) Ergo & alii in ætate juvenili resurgent.

Præterea. Homo in maxima perfectione naturæ resurget. Sed natura humana perfectissimum statum habet in ætate juvenili. Ergo in illa ætate resurgent omnes.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod omnes resurgent ejusdem stature. Sicut enim homo mensuratur quantitate dimensionis, ita quantitate durationis. Sed quantitas durationis in omnibus reducitur ad eandem mensuram, quia omnes in eadem ætate resurgent. Ergo quantitas dimensionis in omnibus reducitur ad eandem mensuram, ut in eadem statura omnes resurgant.

2. Præterea. Philosophus dicit in II. de Anima (text. XLII.) quod omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti. Sed ille terminus non est nisi ex virtute formæ, cui debet congruere quantitas, sicut & omnia alia accidentia. Ergo cum omnes homines habeant eandem formam specificam, in omnibus debet esse secundum naturam eadem quantitas mensura, nisi sit error. Sed error naturæ corrigetur in resurrectione. Ergo omnes resurgent in eadem statura.

3. Præterea. Quantitas resurgentis non poterit esse proportionata virtuti naturali, quæ primo corpus formavit: nam alii qui non potuerunt ad majorem quantitatem perducere virtuti naturæ, nunquam in majore quantitate resurgent; quod falsum est. Ergo oportet quod quantitas illa proportionetur virtuti reparanti corpus humanum per resurrectionem, & materiæ de qua reparatur. Sed virtus reparans omnia corpora est eadem numero, scilicet virtus divina; cineres autem omnes, ex quibus reparantur humana corpora, se habent æqualiter ad suscipiendam actionem prædictæ virtutis. Ergo ad eandem quantitatem terminabitur resurrectio omnium hominum; & sic idem quod prius.

Sed contra. Quantitas naturalis sequitur naturam uniuscujusque individui. Sed in resurrectione non variatur natura individui. Ergo nec quantitas naturalis ejus. Sed non est eadem quantitas naturalis omnium hominum. Ergo non omnes resurgent in eadem statura.

Præterea. Natura humana reparabitur per resurrectionem ad gloriam, vel ad poenam. Sed non erit eadem quantitas gloriæ, vel poenæ in omnibus resurgentibus. Ergo nec eadem quantitas naturæ.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod omnes resurgent in sexu virili. Quia dicitur Ephes. IV. quod occurremus omnes in virum perfectum. Ergo non erit ibi nisi virilis.

2. Præterea. In futuro omnis cessavit prælatio, ut dicit Glossa I. Corinth. XV. Sed mulier naturali ordine subdita est viro. Ergo mulieres non resurgent in sexu muliebri, sed virili.

3. Præterea. Illud quod est occasionaliter, & præter intentionem naturæ inductum, non resurget: quia in resurrectione omnis error tollitur. Sed sexus muliebrius est præter intentionem naturæ inductus ex defectu virtutis formativæ in semine, quæ non potest perducere materiam concepti ad perfectionem virilem: unde dicit Philosophus in XVI. de animalibus, vide-

(1) Al. deferetur.

licet Lib. II. de gener. animal. cap. III. quod femina est mas occasionatus. Ergo sexus muliebrius non resurget.

Sed contra est quod dicit Augustinus XXII. de Civit. Dei cap. XLII. Melius sapere videntur qui utrumque sexum resurrexerunt esse non dubitant.

Præterea. Deus reparabit in resurrectione quod in homine fecit in prima conditione. Sed ipse fecit mulierem de costa viri, ut patet Genes. II. Ergo ipse sexum femininum in resurrectione reparabit.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod resurgent in vita animali, ut scilicet urantur actu nutritivæ, & generativæ. Quia resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi. Sed Christus post resurrectionem legitur comedisse, ut patet Joan. ult. & Luc. ult. Ergo & homines post resurrectionem comedent, & eadem ratione generabunt.

2. Præterea. Distinctio sexuum ad generationem ordinatur, & similiter instrumenta quæ deserviunt virtuti nutritivæ, ordinantur ad comestionem. Sed homo cum omnibus hujusmodi resurget, ut ex supra dictis patet. Ergo utetur actibus virtutis generativæ, & nutritivæ.

3. Præterea. Totus homo beatificatur & secundum animam, & secundum corpus. Sed beatitudo, sive felicitas secundum Philosophum, X. Ethic. cap. VI. vel IX. in propria operatione consistit. Ergo oportet quod omnes potentie animæ, & omnia membra sint in suis actibus in beatis post resurrectionem; & sic idem quod prius.

4. Præterea. In beatis post resurrectionem erit beata, & perfecta jucunditas. Sed talis jucunditas omnes delectationes includit: quia beatitudo est status omnium bonorum congregatione completus, ex Boetio III. Lib. de Consolat. pros. II. & perfectum est cui nihil deest. Cum ergo in actu virtutis generativæ sit, nutritivæ magna delectatio videretur quod tales actus ad vitam animalem pertinentes in beatis erunt, & multo fortius in aliis qui minus spiritualia corpora habebunt.

Sed contra est quod dicitur Math. XXII. 30. In resurrectione neque nubent, neque nubentur.

Præterea. Generatio ordinatur ad subveniendum defectui qui per mortem accidit, & ad multiplicationem humani generis, & comestio ad restaurationem perditum, & ad augmentum quantitatis. Sed in statu resurrectionis jam humanum genus habebit totam multitudinem individuorum à Deo præfinitam: quia usque ad hoc generatio (1) deferretur, ut ex præcedenti distinctione, quæst. I. art. 3. in corp. patet: similiter etiam quilibet homo resurget in debita quantitate: nec erit ultra mors, aut aliqua deperditio fiet à partibus hominis. Ergo frustra esset actus generativæ, & nutritivæ virtutis.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ: quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter. Uno modo quia nondum perfectionem ultimam est consecuta; alio modo quia ab ultima perfectione jam recessit: & primo modo deficit in pueris, secundo modo deficit in senibus: & ideo

ideo in utriusque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis, qui est in juvenili ætate, ad quam terminatur motus augmenti, & à qua incipit motus decrementi.

Ad primum ergo dicendum, quod ætas senectutis habet reverentiam, non propter conditionem corporis, quod in defectu est, sed propter sapientiam animæ, quæ ibi esse præsumitur ex temporis antiquitate: unde in electis manebit reverentia senectutis propter plenitudinem divinæ sapientiæ, quæ in eis erit; sed non manebit senectutis defectus.

Ad secundum dicendum, quod non loquimur de ætate quantum ad numerum annorum, sed quantum ad statum qui ex annis in corpore humano relinquatur: unde Adam dicitur in ætate juvenili formatus propter talem corporis conditionem quam primo die formationis suæ habuit: & ideo ratio non est ad propositum.

Ad tertium dicendum, quod virtus speciei dicitur esse perfectior in puero quam in juvene quantum ad efficaciam agendi conversionem alimenti aliquo modo, sicut etiam est perfectior in semine quam in homine completo; sed in juvenibus est perfectior quantum ad terminum complementi: unde illud quod maxime ad naturæ veritatem pertinuit, ad illam perfectionem reducitur quam habet in ætate juvenili, non ad illam quam habet in ætate puerili, in qua humores adhuc non pervenerunt ad ultimam digestionem.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod in resurrectione non reparabitur humana natura solum quantum ad idem speciem; sed etiam quantum ad idem numero; & ideo in resurrectione non solum attendendum quid competat naturæ speciei, sed quid competat naturæ individui. Natura autem speciei habet aliquam quantitatem quam nec excedit, nec ab ea deficit absque errore; quæ tamen quantitas habet aliquos gradus latitudinis, & non est accipienda secundum unam mensuram determinatam. Unumquodque autem individuum in specie humana assequitur infra terminos illius latitudinis aliquem gradum quantitatis quæ competit naturæ individui, & ad hanc perducitur in termino augmenti, si non fuit aliquis error in opere naturæ, per quem sit aliquid additum, vel subtractum prædictæ quantitati: cuius quidem mensura accipitur secundum proportionem caloris extendentis, & humiditatis extensibilis, quod non est ejusdem virtutis in omnibus. Et ideo non omnes resurgent in eadem quantitate, sed quilibet resurget in illa quantitate in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset, vel defecisset: quod autem superest, vel quod deficit in homine, resecabit, vel supplebit divina potentia.

Ad primum ergo dicendum, quod jam patet ex dictis quod non dicuntur omnes in eadem ætate resurgere, quasi omnibus competat eadem quantitas dimensionis, sed quia idem status perfectionis erit in omnibus: qui quidem status salvari potest in magna, & parva quantitate.

Ad secundum dicendum, quod quantitas hujusmodi individui non solum responderet formæ speciei, sed etiam naturæ individui, ut ex dictis patet: & ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod quantitas resurgentis non proportionatur virtuti reparanti, quia illa non est de natura corporis, nec omnibus secundum statum illum in quo sunt ante resurrectionem; sed natura. In IV. Sent. Tom. V.

turæ quam primo individuum habebat. Tamen si virtus formativa propter aliquem defectum non poterat perducere ad debitam quantitatem quæ competit speciei, divina virtus supplebit in resurrectione defectum, sicut patet de nanis: & eadem ratio est de illis qui immoderatæ magnitudinis fuerunt ultra debitam naturæ.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod sicut considerata natura individui, debetur quantitas diversa diversis hominibus; ita considerata natura individui, debetur diversis diversus sexus: & hæc etiam diversitas competit perfectioni speciei, cuius diversi gradus implentur per dictam diversitatem sexus, vel quantitatis. Et ideo sicut resurgent homines in diversis staturis, ita in diversis sexibus: & quamvis sit differentia sexuum, deest tamen confusio naturæ visionis: quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causetur.

Ad primum ergo dicendum, quod dicuntur omnes Christo occurrere in virum perfectum non propter sexum virilem, sed propter virtutem animi, quæ erit in omnibus & viris, & mulieribus.

Ad secundum dicendum, quod mulier subditur viro propter imbecillitatem naturæ quantum ad vigorem animi, & quantum ad robur corporis; sed post resurrectionem non erit differentia in his secundum diversitatem sexuum, sed magis secundum diversitatem meritum: & ideo ratio non procedit.

Ad tertium dicendum, quod quamvis femine generatio sit præter intentionem naturæ particularis, est tamen de intentione naturæ universalis, quæ ad perfectionem humanæ speciei utrumque sexum requirit; nec ex sexu erit ibi aliquis defectus, ut ex dictis patet.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod resurrectio non erit necessaria homini propter primam perfectionem ipsius, quæ consistit in integritate eorum quæ ad naturam spectant, quia ad hoc homo pervenire potest in statu præsentis vitæ per actionem causarum naturalium; sed necessitas resurrectionis est ad consequendam ultimam perfectionem, quæ consistit in perventione ad finem ultimum, ut in præcedenti distinct. dictum est: & ideo illæ operationes naturales quæ ordinantur ad primam perfectionem humanæ naturæ vel causandam, vel servandam, non erunt in resurrectione; & hujusmodi sunt actiones animalis vitæ in homine, & actiones naturæ in elementis, & motus cæli; & ideo omnia hæc cessabunt in resurrectione. Et quia comedere, & bibere, & dormire, & generare ad animalem vitam pertinent, cum sint ad primam perfectionem naturæ ordinata, in resurrectione talia non erunt.

Ad primum ergo dicendum, quod illa comestio qua Christus comedit, non fuit necessitatis, quasi cibi indigeret humana natura post resurrectionem; sed fuit potestatis, ut ostenderet se veram naturam humanam resumpsisse, quam prius habuerat in statu illo, quando cum discipulis comederat, & biberat. Hæc autem ostensio non erit necessaria in resurrectione communi, quia omnibus notum erit. Et ideo dicitur dispensative Christus manducasse eo modo loquendi quo Juristæ dicunt, quod dispensatio est communis juris relaxatio: quia Christus intermisit hoc quod est communiter resurgendum, scilicet non uti-

cibus propter causam prædictam: & propter hoc ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum, quod differentia sexuum, & membrorum erit ad naturam humanam perfectionem reintegrandam & in specie, & in individuo: unde non sequitur quod sit frustra, quamvis animales operationes desint.

Ad tertium dicendum, quod prædictæ operationes non sunt hominis in quantum est homo, ut etiam Philosophus dicit: & ideo in eis non consistit beatitudo humani corporis; sed corpus humanum beatificabitur ex redundantia à ratione, à qua homo est homo in quantum erit ei subditum.

Ad quartum dicendum, quod delectationes corporales, sicut dicit Philosophus in VII. & X. Ethic. cap. 11. vel 111. sunt medicinales, quia adhibentur homini ad tollendum fastidium; vel etiam ægitudinales in quantum homo eis inordinate delectatur; ac si essent veræ delectationes; sicut homo habens infirmum gustum delectatur in quibusdam quæ sanis non sunt delectabilia: & ideo non oportet quod tales delectationes sint de perfectione beatitudinis, ut Judæi, & Saraceni, & quidam hæretici posuerunt, qui vocantur Chiliarchæ, quia etiam secundum doctrinam Philosophi, non videntur sanum affectum habere. Solæ enim delectationes spirituales secundum ipsum sunt simpliciter delectationes, & propter se querendæ; & ideo ipsæ solæ ad beatitudinem requiruntur.

QUÆSTIO II.

Deinde queritur de conditionibus beatorum: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo. De impassibilitate.

Secundo. De subtilitate.

Tercio. De agilitate.

Quarto. De claritate corporum glorificatorum.

ARTICULUS I.

Utrum corpora Sanctorum post resurrectionem erunt impassibilia.

IV. contr. Gent. cap. LXXXVI. I. P. q. XCVII. a. 1. in corp.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod corpora Sanctorum post resurrectionem non erunt impassibilia. Omne enim mortale est passibile. Sed homo post resurrectionem erit animal rationale imortale: hæc enim est definitio hominis, quæ nunquam ab eo separabitur. Ergo corpus erit passibile.

2. Præterea. Omne quod est in potentia ad formam alterius, est passibile ab illo: quia secundum hoc aliquid est passivum ab alio, ut dicitur in I. de generat. text. LXXVII. & LXXVIII. Sed corpora Sanctorum post resurrectionem erunt in potentia ad aliam formam. Ergo erunt passibilia. Probatio mediæ. Quæcumque communicant in materia, unum eorum est in potentia ad formam alterius: materia enim secundum quod est sub una forma, non amittit potentiam ad aliam formam. Sed corpora Sanctorum post resurrectionem communicabunt cum elementis in materia, quia ex eadem materia reparabuntur ex qua nunc sunt. Ergo erunt in potentia ad aliam formam; & sic erunt passibilia.

3. Præterea. Contraria nata sunt agere, & pati ad invicem, ut in I. de generat. text. 1. dicit Philosophus. Sed corpora Sanctorum post resurrectionem erunt ex contrariis composita, sicut & nunc sunt. Ergo erunt passibilia.

4. Præterea. In corpore humano resurgit sanguis, & alii humores, ut supra dictum est. Sed ex pugna humorum ad invicem generantur ægitudines, & huiusmodi passiones in corpore. Ergo erunt corpora Sanctorum post resurrectionem passibilia.

erunt ex contrariis composita, sicut & nunc sunt. Ergo erunt passibilia.

4. Præterea. In corpore humano resurgit sanguis, & alii humores, ut supra dictum est. Sed ex pugna humorum ad invicem generantur ægitudines, & huiusmodi passiones in corpore. Ergo erunt corpora Sanctorum post resurrectionem passibilia.

5. Præterea. Magis repugnat perfectioni defectus in actu quam defectus in potentia. Sed passibilitas importat solum defectum in potentia. Cum ergo in corporibus beatorum sint futuri aliqui defectus in actu, sicut cicatrices vulnerum in martyribus, ut in Christo fuerunt; videtur quod nihil peribit perfectioni eorum, si corpora illa passibilia ponantur.

Sed contra. Omne passibile est corruptibile: quia passio magis facta abijcit à substantia. Sed corpora Sanctorum post resurrectionem erunt incorruptibilia, ut dicitur I. Corinth. xv. 42. *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* Ergo erunt impassibilia.

Præterea. Fortius non patitur à debiliori. Sed nullum corpus erit fortius corporibus Sanctorum, de quibus dicitur I. Corinth. xv. 43. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Ergo erunt impassibilia.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod impassibilitas in omnibus erit æqualis. Quia I. Corinth. xv. dicit Glossa (vetus) quod æqualiter omnes habebit quod pati non possunt. Sed ex hoc erit eis quod non possint pati, quod habent dotem impassibilitatis. Ergo impassibilitas erit æqualis in omnibus.

2. Præterea. Negationes non recipiunt magis, & minus. Sed impassibilitas est quædam negatio, vel privatio passibilitatis. Ergo non potest esse major in uno quam in alio.

3. Præterea. Magis album dicitur quod est nigro impermixtius. Sed nulli corpori Sanctorum admiscebitur aliquid de passibilitate. Ergo omnia erunt impassibilia æqualiter.

Sed contra. Merito debet respondere præmium proportionaliter. Sed Sanctorum quidam fuerunt alii majoris meriti. Ergo cum impassibilitas sit quoddam præmium, videtur quod in quibusdam sit major quam in aliis.

Præterea. Impassibilitas dividitur contra dotem claritatis. Sed illa non erit æqualis in omnibus, ut patet I. Corinth. xv. Ergo nec impassibilitas.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod impassibilitas sensum in actu à corporibus gloriosis excludat. Quia, sicut dicit Philosophus in II. de Anima, text. com. c. vii. & etiam 11. sentire quoddam patet. Corpora autem gloriosa erunt impassibilia. Ergo non sentient in actu.

2. Præterea. Immutatio naturalis præcedit immutationem animalem, sicut esse naturale præcedit esse intentionale. Sed corpora gloriosa ratione impassibilitatis non immutabuntur immutatione naturali. Ergo nec immutatione animali, quæ requiritur ad sentiendum.

3. Præterea. Quæcumque fit sensus in actu cum nova receptione, fit novum iudicium. Sed ibi non erit novum iudicium, quia non erunt ibi cogitationes volubiles. Ergo non fiet sensus in actu.

4. Præterea. Quando anima est in actu unius potentie, remittitur actus alterius potentie. Sed anima

summe erit intenta ad actum virtutis intellectivæ, quæ Deum contemplantur. Ergo non erit aliquo modo in actu sensitivæ.

Sed contra est quod dicitur Apocal. 1. 7. *Videbit eum omnis oculus.* Ergo erit ibi sensus in actu sensitivæ. Præterea. Secundum Philosophum in I. de Anima (text. xix.) animatum ab inanimato distinguitur sensu, & motu. Sed erit ibi motus in actu, quia tamquam scintilla in arundine discurret: Sap. 111. 7. *Ergo & sensus in actu.*

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod non sint ibi omnes sensus in actu. Tactus enim est primus inter alios sensus, ut dicitur in Lib. de Anima, III. text. Lxxi. Sed corpora gloriosa carebunt actu sensus tactus: quia sensus tactus fit in actu per immutationem corporis animalis ab aliquo exteriori corpore prædominante in aliqua qualitate activarum, vel passivarum, quarum est tactus discretivus; qualis immutatio tunc esse non poterit. Ergo non erit ibi omnis sensus in actu.

2. Præterea. Sensus gustus deservit actui virtutis nutritivæ. Sed, sicut supra, q. præc. art. 3. question. 5. in corp. dictum est, post resurrectionem huiusmodi actus non erit. Ergo frustra esset ibi gustus.

3. Præterea. Post resurrectionem nihil corrumpetur: quia tota creatura vestietur quadam virtute incorruptionis. Sed sensus odoratus in actu suo esse non potest, nisi aliqua corruptione facta: quia odor non sentitur sine aliqua fumali evaporatione, quæ in quadam resolutione consistit. Ergo sensus odoratus non erit ibi in suo actu.

4. Præterea. Auditus deservit disciplinæ, ut dicitur in Lib. de sensu & sens. cap. 1. vel 11. Sed non erit post resurrectionem beatis necessaria aliqua disciplina per sensibilia: quia divina sapientia replebuntur ex ipsius Dei visione. Ergo non erit ibi auditus.

5. Præterea. Visio fit secundum quod in pupilla recipitur species rei visæ. Sed hoc non poterit esse post resurrectionem in beatis. Ergo non erit ibi visus in actu, qui tamen est omnium sensuum nobilior. Probatio mediæ. Illud quod est lucidum in actu, non est receptivum speciei visibilis; unde speculum directe positum sub radio solis non repræsentat speciem corporis oppositi. Sed pupilla, sicut & totum corpus, erit claritate dotata. Ergo non recipietur in ea aliqua species colorati corporis.

6. Præterea. Secundum Perspectivos, omne quod videtur, sub angulo videtur. Sed hoc non competit corporibus gloriosis. Ergo non habebunt sensum visus in actu. Probatio mediæ. Quæcumque aliquid videtur sub angulo, oportet esse aliquam proportionem angulo ad distantiam rei visæ: quia quod à remotiori videtur, minus videtur, & sub minori angulo: unde posset esse ita parvus angulus quod nihil de re videretur. Si ergo oculus gloriosus videbit sub angulo, oportet quod videat sub terminata distantia; & ita quod non videat aliquid à remotiori quam modo videmus; quod videretur valde absurdum; & sic videretur quod sensus visus actu non erit in corporibus gloriosis.

Sed contra. Potentia conjuncta actui est perfectior quam non conjuncta. Sed natura humana erit in beatis in maxima perfectione. Ergo erunt ibi omnes sensus in suo actu.

Præterea. Vicinius se habent ad animam potentia sensitivæ quam corpus. Sed corpus præmiabitur, vel

punitur propter merita, & demerita animæ. Ergo & omnes sensus præmiabuntur in beatis, & punientur in malis secundum delectationem, & dolorem, vel tristitiam quæ in operatione sensus consistunt.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod passio dupliciter dicitur. Uno modo communitate, & sic omnis receptio passio dicitur, sive illud quod recipitur, sit conveniens recipienti, & perfectivum ipsius, sive contrarium, & corruptivum: & ab huiusmodi passionis remotione corpora gloriosa impassibilia non dicuntur, cum nihil quod est perfectionis, eis sit auferendum. Alio modo dicitur proprie, quam sic diffinit Damascenus in II. Lib. de Fide orth. cap. xii. *Passio est motus præter naturam: unde immoderatus motus cordis passio ejus dicitur; sed moderatus dicitur ejus operatio: cujus ratio est, quia omne quod patitur, trahitur ad terminos agentis, quia agens assimilatur sibi patiens: & ideo patiens in quantum huiusmodi trahitur extra terminos proprios in quibus erat. Sic ergo proprie accipiendo passionem, non erit in corporibus Sanctorum resurgentium potentialitas ad passionem: & ideo impassibilia dicuntur. Huius autem impassibilitatis ratio diversis diversimode assignatur.*

Quidam enim attribuitur eam conditioni elementorum, quæ aliter se habebunt tunc in corpore quam modo se habent. Dicunt enim quod elementa remanebunt ibi secundum substantiam; sed qualitates activæ, & passivæ ab elementis auferentur. Sed hoc non videtur verum: quia qualitates activæ, & passivæ sunt de perfectione elementorum: unde si sine eis repararentur, elementa in corpore resurgenti essent minoris perfectionis quam modo sunt. Et præterea, cum qualitates illæ sint propria accidentia elementorum, ex forma, & materia ipsorum causata, videretur valde absurdum quod causa manente, effectus tollatur.

Et ideo alii dicunt, quod manebunt qualitates, sed non habebunt proprias actiones, divina virtute id faciente ad conservationem humani corporis. Sed hoc etiam non videtur posse stare: quia ad mixturem requiritur actio activarum, & passivarum qualitarum, & secundum prædominium unius, vel alterius mixta efficiuntur diversæ complexionis; quod oportet ponere in corpore resurgenti: quia erunt ibi carnes, & ossa, & huiusmodi partes, quibus omnibus non competit una complexio. Et præterea secundum hoc impassibilitas non posset poni dos in eis, quia non poneret aliquam dispositionem in substantia impassibili, sed solum prohibitionem passionis ab exteriori, scilicet divina virtute; quæ etiam posset idem facere de corpore hominis in statu huius vite.

Et ideo alii dicunt, quod in ipso corpore erit aliquid prohibens passionem corporum gloriosorum, scilicet natura quinti corporis, quam ponunt venire in compositionem humani corporis ad conciliandum elementa in harmoniam quamdam, per quam possint esse debita materia animæ rationalis; sed tamen in statu huius vite, propter dominium naturæ elementaris, corpus humanum patitur ad similitudinem aliorum elementorum; sed in resurrectione dominabitur natura qui nati corporis; & ideo corpus humanum reddetur impassibile ad similitudinem corporis celestis. Sed hoc non potest stare: quia corpus quintum non venit materialiter ad compositionem corporis humani, ut in II. Lib. dist. xvi. q. 111. art. 1. ostensum est.

Et